



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)

tionem, & laudem Dei. Domino accepta referenda est salus, quæ salus est benedictio tua, Domine, super populum tuum: nam benedicere Dei, est benefacere.

NB. Post *Ps.* 2. 4. 8. additur *Sela* hebraicum, quod, juxta S. Hiero. idem est, ac *semper*, ut sensus sit: sint firma, ac rata, quæ dicta sunt.

PSALMUS IV.

Titulus, & argumentum: *In finem in hymnis Psalmus David.* Cùm hic Psalmus sit unus ex utilioribus, *in finem*, perpetuò, sive frequenter canendus est, præsertim cùm Psalmus hic propriè Christum respiciat. Illud, *in hymnis*, posset etiam verti, in pulsatione instrumentorum Musicorum. Hic titulus infra sæpe recurrit, & eodem modo intelligendus est.

Ps. 1. *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.*

David exemplo suo monet peccatores, ut convertantur, & fidant in domino, declinent à malo, & faciant bonum. Cùm ego, in tribulatione positus, Deum invocarem, exaudivit me: quod indè scio,



scio, quia Tu, Domine, cordi meo dulcissimam præsentiam tuam exhibens, miro modo angustias tribulationis in latitudinem convertis lætitiæ. Dicitur *Deus justitiæ*, h. e. causa justitiæ.

Ps. 2. Misereere mei, & exaudi orationem meam.

Postulat continuationem gratiæ, quia scit, hominem in hæc vitâ semper obnoxium esse periculis. Ita, Domine, semper miserearis, semper exaudias, sicut adhuc fecisti.

Ps. 3. Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Quamdiu cor habetis durum, lapideum, ad terram inclinatum? Ait enim Dominus, corda etiam curis hujus mundi gravari. Per *Vanitatem*, intellige bona transitoria, quæ etiam dicuntur *mendacium*, h. e. falsa, & fallacia.

Ps. 4. Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me cum clama vero ad eum.

Ratio, cur temporalia contemnenda, quia Dominus Sanctum suum (Christum, qui solus inter homines impeccabilis fuit)

qui

qui temporalia despexit, mirabilem omnino reddidit, resuscitando, collocando ad dexteram Dei Mediatorem, qui interpellat pro nobis.

v. 5. Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Cùm surgunt pravi motus, qui sunt initia, & radices omnium peccatorum, irascimini naturæ vestræ corruptæ, & resistite, ut non peccetis: notat enim S. Basil., iram nobis à Deo datam, ut sit cos virtutis. Tempore nocturno cùm estis soli in cubilibus, & liberi aliis curis, cogitate errata vestra, & de iis dolete.

v. 6. Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino: multi dicunt, quis ostendet nobis bona?

Hortatur, ut insuper faciant bona opera, quæ vocat *Sacrificium justitiæ*, quia placent Deo valde, & per ea Deus honoratur. Ut autem caveatis à præsumptione, quæ bonis operibus insidiatur, spes vestra sit in Deo, qui dabit mala vitare, bona facere, & salvari. *Multi* (Stultorum, seu Carnalium hominum infinitus est numerus) objiciunt: quid est



hæc justitia, & quis ejus viam nobis ostendet?

Ps. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiã in corde meo.*

Quid sit justitia, seu verum bonum, dicat lumen rationis, animæ nostræ indelebiter à Deo impressum, quo à bestiis distinguimur, & quod facit nos esse ad imaginem, & similitudinem Dei: hoc enim dicat, non esse faciendum alteri, quod nobis fieri nolumus; ac proinde non esse furandum, mæchandam &c. Ex eo autem, quòd homo cogitet, se esse Dei imaginem, in voluntate oritur spes, amor Dei, & gaudium.

Ps. 8. *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.*

Aucti sunt, sive reverunt in bonis temporalibus ob illorum trium præcipuè fructuum abundantiam. Ecce alterum argumentum, Deum esse authorem bonorum omnium, cum & ipse temporibus suis multiplicet fruges, & fructus omnes producat.

Ps. 9. *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.*

Concludit



Concludit Psalmum: Quidquid sit de aliis, quos ad amicitiam cum Deo cohortatus sum, ego omnino in Deo confidere, ac penitus conquiescere volo. *In pace*, h. e. animo tranquillo, *in idipsum*, h. e. simul *dormiam*, & *requiescam*, h. e. securus cubabo ad dormiendum, & re ipsa securissime dormiam.

Ps. 10. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

Ratio, cur in Deum omnem sollicitudinem projiciat, est, quòd Deus fidelissimis suis promissis cum in sola spe constituerit, seu habitare fecerit: nec enim justus confidit propriis Viribus, aut ullà re creatà, sed *singulariter*, seu solo Deo.

PSALMUS V.

Titulus, & argumentum: *In finem pro eà, quæ hæreditatem consequitur, Psalmus David.*

Psalmus compositus est in personà Ecclesiæ, quæ hæreditatem salutis æternæ quotidie in suis membris consequitur, & in fine mundi tota consequetur. David itaque in personà Ecclesiæ partim orat pro innocentia piorum tuendâ; partim impiorum peccatum detestatur.